

conatibus resistendum esset. Misit legati rem Pontifici retulere. Cumq; pariter intellexisset Pontifex nullum eos secum tractandi mandatum habere, sed tantum quid statutum fuisset referendi; predicta omnia in sui derisionem & contumeliam à prioribus legatis, qui conditiones acceptarant, quam à Ludovico, qui liberam ei facultatem omnia promittendi tradiderat, ac novissime à Conventu Francofordiano, gesta esse accipiens: jam animo factus in Ludovicum exulceratior, & de justa sacra majestatis ultione serio cogitans, Regem Francorum hortatus est auxilium Ecclesie ferre; atq; cum Joanne Rege Boemiae ejusq; filio Carolo, qui lesi fuerant à Ludovico in raptu Comitissa Tirolis, cumq; Archiepiscopo Treverensi Joannis fratre, de Bavaro penitus ab Imperio exturbando, majori sollicitudine tractare cepit. Quæ ad probandas suspiciones nostras sufficere confidimus; Sed utcunq; sit, si quis Pontificum Romanorum de hac ipsa concessione serio quid sibi æstimandum sit ingenue expromere deberet, scio sane id geminum futurum sententiæ PII IV. PP. quam in epistola quadam ad Henricum juniorem Ducem Brunsvicensem exponit.

Dilecto filio, nobili viro, Henrico Juniori, Duci
Brunsvicensi.

PIVS PP. IIII.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem, & apostolicam benedictionem. Accepimus literas à dilecto filio Ludolfo Halverico oratore tuo: quem ad charissimum in Christo filium nostrum novum Romanorum Imperatorem electum misisti. In quibus scribit, delatum nuper ad te exemplar fuisse concessionis nostræ in Viennensi civitate Austriae promulgatæ de sacra communione sub utraque specie permittenda: & quoniam tua interfit, mentem nostram cognitam habere: cupere te, & piè postulare, quemadmodum sese res habeat, à nobis fieri certiolem. Cui desiderio tuo, tanto æquius esse, & magis decere intelligimus satisfieri: quanto te constantiorem ecclesie catholice filium novimus. Non enim parum testata est, neq; obscura tua in catholica religione constantia: sed insignis admodum & variis temporibus, magna tua cum laude cognita, atq; spectata. Sic autem ea res se habet. Ferdinandus piæ memoriæ Romanorum Imperator electus, qui ad meliorem vitam nuper à Domino vocatus fuit: sicut de divina ejus misericordia confidimus: per literas, & per oratorem suum

C 3

nobis